



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



13 a

Q. D. B. V.

ARTEM DE-
FINIENDI,

PRÆSIDE

DN. M. JOHANNES REIN.

HARDO, Hilperhusâ Francô,

Publicæ ventilationi
sistit

FRIDERICUS VVILHELMUS CARP-
ZOVIVS, Ratisbonensis,

AUTOR & RESPONDENS.

In Auditorio minori. d. XVII. Maji.



WITTEBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.

M DC LXXIII.

5
D. D. R. V.
ARTEM DE.

FINIENDI

PRESIDE

DN. M. JOHANNES REIN.

HARDO, Hildesheim, Franco,

Publicus v. n. n. n.

FRIDERICUS VITTELMIUS CARP.

ZOVILL, R. n. n. n.

Publicus v. n. n. n.

Publicus v. n. n. n.

Publicus v. n. n. n.

Publicus v. n. n. n.

Publicus v. n. n. n.

Publicus v. n. n. n.



In nomine Domini nostri JESU CHRISTI

Amen!

Mirantē, cur studio Juris navans operam, philosophicam hancce, definiendi artem tractantem, ipse scribam disputationem, perpauculis hisce reddo certiore, me eò impulisse usum artis hujus longè maximum, longeque amplissimum, extendentem sese ad prudentiam civilem uberrimè, cum sine illà ulla tractare vix possimus. Sine definitionis & distinctionis scientia disputator planè pro nullo habetur. Optima sæpius definitio falsa dicitur artis hujus imperitis: uti etiam non rarò pro optima ab iisdem habetur, quæ tamen non uno scatet vitiò, si trutina examinetur regularum Logicarum. Errant qui Jurisprudentiæ suis studiis consecratis sibi persuadent, se regulis Logicis artificiosè definiendi neutiquam alligatos esse. Produnt hóc ipso suam inscitiam non sine dedecore. Certè si Jcti in loquendo adstricti sunt regulis Grammaticis, uti licitum illis non est dicere: *malus mulier* pro *mala mulier*, vel *doceo vobis jurisprudentiam* pro *doceo vos*: utique etiam adstricti sunt regulis Logicorum in definiendo, dividendo & argumentando. Ratio est, quia uti Grammatica est ars docens rectè loqui: ita Logica est ars docens rectè definire, dividere & argumentari. Hæc optimè B. noster Spindlerus in Tract. V. Log. Art. II. Reg. V. p. m. 112, Logicam qui tenet artem, verum qui non ignorat definiendi modum, vix hærebit, nunquam jacebit. Ne verò pluribus prodrometicis verbis Benevolo Lectori moveatur nausea, cum Deo jucundam illam, neque flocci habendam aggredior artem, non dubitans, quin ex dictis jam appareat necessitas ejus, atque ipsius elucescat utilitas, & insimul incentivum, quo indigitatam inflammatus materiam aggrediar perlustrandam, disputandam.

CAPUT I. EXEGETICUM.

§. 1.

Propositæ materiæ, feliciori atque faciliori methodo per-
strandæ, primum locum sustinet definitionis definitio Aristo-
telica quæ l. 1. post. c. 10. ita se habet: Ὁρισμός ἐστὶ λόγος τῆς
τί ἐστιν. hoc est: Definitio est oratio quidditatis, seu explicans,
quid res sit. Vel ὄρος ἐστὶ λόγος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων l. 1.
Top. c. 4. §. 2. Definitio est oratio, quæ essentiam seu quidditatem
rei declarat.

§. 2. Positâ definitione, necessarium quoque videtur, ut
de ejus quædam addantur *homonymiâ*. Circa quam notandum,
quod vox definitionis variè accipiatur: Sumitur enim (1.) ut
contradistingvatur definito, pro termino complexo essentiam
rei explicatæ, seu pro enunciationis definitivæ prædicato tantum.
(2.) pro integra enuntiatione, ex definitione & definito constan-
te. Priori modò accipitur in regulis bonæ definitionis plerisque
infra explicandis: Posterior acceptio obtinet, ubi integram ora-
tionem definitivam definitionem appellamus. Vid. de hoc Stah-
lius in Reg. Philos. Tit. XII. Reg. X.

§. 3. Ad Homonymiam etiam spectat, quod communiter
distingvatur inter definitionem *nominis*, quæ alicujus vocis signi-
ficationem exponit, & aliàs *nominis notatio* dicitur, v. g. quando
homo dicitur aliquod derivatum ab humò; vel quando Testa-
mentum, quod mentis sit testatio, definitur, l. Inst. de Test. Ordin.
Et *rei*, quæ rei per nomen significatæ naturam explicat, ut: homo
est animal rationale.

§. 4. Nota tamen, quod definitio *nominis* propriè defi-
nitio dicenda non sit. Propriè enim sic dicta definitio circa res
explicandas versatur, nominis verò circa naturam vocis. Ne
etiam eam cum Etymologia confundas, cave; Videtur
enim, ac si nominis definitio ac Etymologia unum sit idemque.
Dari verò nominis definitionem, quæ propriè Etymologica non
sit, facile monstrari poterit, atque exinde quidem, cum Etymo-
logia semper, quod nomen significat, non exponat, v. g. Pœni-
tentia dicitur conversio ad DEUM, quod tamen etymologia
ejus non suppeditat; neque etiam semper nomen exponitur per
origi-

originem, v. c. quando rixari dicitur idem esse ac jurgio contendere: Item Synonyma dicuntur vocabula idem significantia. Explicatur hinc, quid sit rixari, quidque sint Synonyma non etymologicè: Non enim vocis indigitatur origo, sed explicatur nomen aliò modò.

§. 5. Neque vero silentii peplò tegendum est, quod à definitione nominis ad ipsum definitum N. V. C. Res ut fiat clarior, addamus exemplum: v. g. Definitio nominis est, quando ab humo derivatur homo, neque tamen dicendum, quod omne, quod ab humo derivatur, uti animans, brutum &c. sit homo. Ita neque sequitur: Hæc vel illa testatio est mentis; Ergò est testamentum: Cum detur etiam alia multis testatio, utpote testimonium conscientiae. Ratio asserti est, quæ notatio nominis non semper adæquatè exponit, quid nomine significatur.

§. 6. Hæc circa Homonymiam hujus vocis. Aggredienda porro atque examinanda ipsa definitio, quæ in locum priorem occupare genus video, quod est λόγος, oratio. Statim ab initio objiciat quis, dicens, quod non omnis definitio sit oratio. Pro exemplo adducere posset illam Theologorum Nostrorum definitionem, quæ peccatum per ἀνομίαν definiunt, Vid. B. Hutt: in Comp. Theol: Loc: IIX. Argumentum esto sequens: Quæcunque definitio est unica vox, illa non est oratio. Atqui quædam definitio est unica vox, quando sc. peccatum per ἀνομίαν definitur. Ergo quædam definitio non est oratio, & consequenter definitionis definitio est falsissima. Resp. distinguendo inter vocem simplicem & complexam. Limitamus Majorem: Quæ: definitio est unica vox, scilicet simplex, illa non est oratio. Ita si restringatur Minor, etiam ipsa falsa fiet. Instas porro: unum terminum posse esse orationem, si sit complexus; illum autem terminum complexum consistere ex pluribus vocibus; Ut quando dicitur: Homo est animal rationale, τὸ animal rationale est terminus complexus, talis terminus autem non est ἀνομία. Resp. quòd distinguendum sit inter terminum complexum voce & significatione. Quic. terminus non est complexus, neque voce neque significatione, ille non potest esse oratio, per quam definitio definitur. Etsi ἀνομία non sit terminus complexus voce, est tamen talis significatione, cum idem sit ac σέησις ἐνομίας, h. e. defectus s. deflectio à lege.

§. 7. Quando autem in definitione dicitur, quòd definitio sit

λόγος

λόγος, hoc est, oratio, sciendum, qualis h. l. intelligatur λόγος. Duplex enim datur: *Internus scilicet & externus. Internus est*, quando v.g. in musæo ambulans mecum cogito, quid sit homo, & invenio, eum esse animal rationale: vel quod Ethica sit prudentia, hominem virtutibus scilicet bonis moribus informans, ut civili felicitate fruatur. Conceptus iste mentis est λόγος, & vocatur internus. *Externus verò est*, quando ea, quæ mecum cogito, ore profero. Uterque hic stare potest, primario tamen internus, quia proprie λόγος est, sed externus talis est per Metonymiam signi pro signato.

§. 8. Explicatio definitionis genere, ejus explicanda est differentia, quæ consistit in vocabulis τὸ ἢ τῆν, hoc est *illius, quid sit, sive quidditatem rei explicans. Quidditas vero rei est nihil aliud quam rei essentia*. Objicis, non omnia, quæ in definitione ponuntur, exponere quidditatem rei, ex eo, quod differentia prædicetur de definito non in quid, sed in quale. Quicquid prædicatur de definito in quale, non in quid, illud non exponit quidditatem ejus. Atqui differentia de suo definito prædicatur in quale, non in quid, ergo differentia non exponit quidditatem ejus. Major quia clara, probatur ex definitione differentie minor. Ea enim definitur, quod sit quæ de pluribus specie vel numero differentibus in *quale* essentialiter prædicatur. Vid. B. Spindlerum Nostri Gymnasii quondam Professoris Clarissimi Log. Tract. III. Cap. II. Art. III. §. 1. Resp. 1. Ex mente B. D. Scharffii & aliorum, prædicationem in *quid* & *essentialem* esse Synonyma, id quod videre licuit ex definitione differentie in Instit. Log. Lib. I. Tr. II. cap. IV. p. 202. *Differentia est, quæ cum genere constituit certam speciem, & prædicatur in quale quid. Scilicet in quid de specie, ut homo est rationale quid; sed in quale de genere, ut quale est animal?* Resp. *rationale vel irrationale*. Negabitur proinde propositio Minor. Resp. 2. Si B. Spindleri nostri sententia retinetur, differentiam prædicari in quale de sua specie, distingui potest inter differentiam *seorsim* & *conjunctim* cum genere sumptam. Etsi differentia *seorsim* spectata prædicetur de sua specie in *quale*, prædicatur tamen in *quid* de ipsa, si *conjunctim* cum suo genere accipiatur. Ita etsi prædicatio in quale sit hæc: Homo est rationalis; est tamen in quid ista: Homo est animal rationale. Restrungimus itaque Majorem: Quicquid prædicatur de definito in quale, non in quid, neque *seorsim*, neque *conjunctim*, illud non exponit quidditatem ejus. Minorem inficiamur. §. 9.

§. 9. Præcognitis hisce, pergimus ad definitionis *divisiones*. Dividitur in *essentialem* & *accidentalem*. *Essentialis* definitio est, quæ definitur per sola essentialia definiti, ut animal rationale respectu hominis. *Definitio Accidentalis*, quæ etiam *descriptio* dicitur, est, quæ datur per aliquid, quod non est essentialia descripto v. g. Homo est animal risibile.

§. 10. Nota hic (1) quòd ad *essentialem* definitionem non sufficiat, ut una alterave saltem pars in definitione posita sit essentialis, sed ut omnes & singulæ sint essentialia, necessum est. Per sola enim essentialia id fieri debet. Ut s. d. homo est animal risibile, hîc animal quidem prædicatur essentialiter; sed non rò risibile, quia risibilitas proprium hominis est, fluens ex conceptu essentiali.

§. 11. Ita neq; (2) puta, quod ad *Accidentalem* definitionem, requiratur, ut omnia ac singula sint accidentalia. Sufficit enim, si unum saltem in tali definitione inveniatur accidens. Vt: Homo est animal risibile. Hæc definitio certè *Accidentalis* est, quia datur per rò risibile, quod non est essentialia definito, homini scilicet: minimè tamen singula, quæ in definitione hîc ponuntur, sunt accidentalia. Ponitur enim ibi animal, quòd non est accidens, sed genus hominis.

§. 12. (3) Observatò, quod non omnis definitio *essentialis in rigore sit perfecta*, quod demonstrari poterit (1) ex *substantia* definitione, quæ est *Ens prædicamentale per se subsistens*. Hæc definitio est *essentialis*, quia de primo conceptu Substantiæ est, non tantùm esse ens, sed etiam esse per se existens; neque tamen *in rigore perfecta*; illi enim tum *genus* propriè dictum deest, cum *differentia specifica propriè dicta*. Deest *genus* rigorosum, quia substantia est genus generalissimum, quod supra se non patitur genus aliud. Abest quoq; *differentia specifica propriè dicta*, quia hæc constituit nonnisi speciem, qualis genus summum esse nequit. Patet hoc etiam ex definitione *Dei*, quæ per *Spiritum infinitum* definitur. Est hæc definitio essentialis; *Essentia* enim *Dei* est, quod sit *Spiritus*. *Tò infinitum* esse pertinet etiam ad ejus *essentialiam*; neq; tamen est perfectissima. Individua enim perfectissimò & rigorosissimo modò definiiri nequeunt. Quicquid enim definitur, definitur ut species, eum definitio constare debeat ex genere & differentiâ specifica. Genus autem est speciei genus, non individui, & differentia specifica speciem constituit, non individuum.

§. 13. Sciendum proinde, quòd solæ species substantiarum completarum perfectè definiri queant. Excluduntur (1) *Accidentia*. Definiuntur enim hæc perpetuò per aliquid extrinseci, h. e. per aliquid, quod intrinsecè rem non constituit, sive extra rei essentiam est positum, e. g. *Ethica*, quando definitur, ut suprâ, quòd sit prudentia, hominem virtutibus s. bonis moribus informans, ut civili beatitudine fruatur, definitur *ab objecto & fine*. *Objectum* Ethices est homo, quâ civiliter beandò; *finis* autem est summum bonum seu civilis beatitudo. At neq; objectum neq; finis est de essentia ejus, cujus est objectum, sed aliquid extrinseci, etsi respectò rei ad finem & objectum sit essentialis. (2) Censu eorum, quæ perfectissimò modo definiuntur, per datâ notam eximuntur *Individa*. Ratio videatur in præc. §. 12. Ubi etiam monstratum datum, cur (3) excludantur *Genera generalissima* sive *summa*. (4) Denique rigorem definitionis perfectæ sustinere nequeunt *Substantie incompleta*, h. e. partes substantiales, ut anima, corpus &c. Ratio, quia etiam definiuntur per aliquid extrinseci, una scilicet pars per alteram, cum qua constituit unum totum.

§. 14. Essentialem definitionem sequitur *Accidentalis* definitio sive descriptio, quæ duplex: Una *causalis*, altera *non causalis*. *Causalis* descriptio est, quæ datur per causam externam, h. e. cujus differentia sumitur à causa *efficiente vel finali*; ab *Efficiente* v. g. quando Ecclipsis lunaris describitur, quòd sit defectus luminis in luna ob interpositionem terræ inter solem & lunam. Hic differentia sumitur à causa *efficiente*, quæ est interpositio terræ inter solem & lunam. A *fine* differentia sumitur v. g. quando *Politica* juxta Cellarii Lib. 1. Cap. 1. §. 3. definitur, quòd sit prudentia civitatem ab initio constituendi, & constitutam benè administrandi. Finis enim politices est civitatem constituere & administrare. *Non causalis* est, quando differentia aliunde sumitur: vel à proprietate, v. c. homo est risibilis; risibilitas enim est proprietas hominis; vel ab *Accidentibus communibus*, v. g. Avis est brutum volans sanguineum, rostratum, pennatum: vel aliunde.

§. 15. Definitio denique dispesci consuevit in eam, quæ est *Substantie*, & eam, quæ est *Accidentis*. *Substantie* dicitur, ubi definitum est substantia, ut: Homo est animal rationale; *Accidentis* verò, ubi definitum est accidens v. g. Virtus est habitus animi, quò homo & bonus, & ad munus suum laudabiliter abeundum est idoneus. Est enim
virtus

virtus accidens, utpote habitus, qui est species qualitatis. Hæc, nempe definitio *accidentium* triplex dicitur: *essentialis* scil. *causalis* & *perfecta*. *Essentialis* vocatur, quæ datur per genus & differentiam à subjecto petitam, ut: Eclypsis lunaris est privatio luminis in luna. *Causalis* dicitur, quæ datur per genus & causam propter quam, vel per differentiam à causa Efficiente desumptam, v.g. Eclypsis lunaris est defectus luminis ab interpositionem terræ inter solem & lunam. *Perfectam* vocant, quæ utramq; & essentialem & causalem complectitur, scil. quæ datur per genus & differentiam, à subjecto simul & causa propter quam petitam, ut: Eclypsis lunæ est privatio luminis in luna, orta ab interpositione terræ inter solem & lunam.

§. 16. Ubi tamen notandum, quod distinctio hæc cum illa superiori, ubi definitio in essentialem & accidentalem distribuebatur, non coincidat; Alia est *essentialis* definitio, alia *substantiæ*. Substantia enim definiri potest non essentialiter, quod patet ex definitione: Homo est animal risibile. Hic definitum est substantia & consequenter definitio est substantiæ, propterea tamen essentialis dici nequit: minimè enim omnia prædicata sunt essentialia. Animal quidem ad essentialitatem hominis pertinet, sed non risibilitas. Similiter nota, quod neq; definitio *accidentalis* cum definitione *accidentis* confundenda. Accidens enim essentialiter etiam definiri potest, v. g. in ista: Eclypsis lunaris est defectus luminis in luna.

§. 17. Coronidis loco adhuc adjiciendum video, quod ultimò allata divisio *abstractivè* loquendo sit *inadequata*, quia plures alii dantur accidentia definiendi modi. Sic e. g. quando virtus moralis definitur per habitum proæreticum, servantem mediocritatem respectivam ad hominè. Hæc definitio neq; essentialis, neq; causalis, neq; perfecta dici potest explicatorum modorum. *Abstractivè* signanter dicitur. *Adequata* enim divisio dici potest, si divisim consideretur eò respectu, sub quo est proposita. Dividitur à Philosopho definitio accidentium non quæcunque, sed illa tantum, quæ ad *demonstrationem* habet ordinem. Essentialis dicitur definitio, quando differentia sumitur à subjecto demonstrationis. *Causalis*, quando datur per terminum medium, sive per demonstrationis causam. *Perfecta* dicitur, in qua omnia demonstrationis requisita concurrunt, sive quæ continet omnes terminos demonstrationem ingredientes. Aliam perfectæ definitionis acceptionem supra habuimus.

B

CAPUT

CAPUT II. PORISMATICUM.

Sequuntur nunc bonæ Definitionis canones, ad artem definiendi discendam cognitu maximè necessarii. Sit igitur.

CANON I.

Definitio non fiat ex verbis Metaphoricis.

§. 1. Docet Aristoteles 6. Top. C. 2. §. 4. quòd definitio ex verbis Metaphoricis constare haud debeat. Ubi scias, quòd hîc loci bona definitione excludantur non *Metaphoræ* tantùm; sed loquutiones quoq; *Metonymica*, *Synecdochica* atq; *Ironica*. Summâ: Nulla in definitione bona *Tropica* locutio locum habere potest. Patet proin, quòd hîc vox *Metaphoræ* sumatur generaliter pro omnibus tropicis locutionibus. Tropi enim definitionem reddunt ambiguam.

§. 2. Objiciat quis, quòd tamen dentur bonæ & receptæ definitiones, ex verbis Metaphoricis constantes, v. g. quando §. 1. Inst. de Patr. potest: *Matrimonium s. nuptiæ* definiuntur, quòd sint *viri & mulieris conjunctio s. conglutinatio* (juxta Matt. XIX. 15.) *individuum vitæ consuetudinem promittens s. præbens*. Argumentetur quis proin sic: Quæ: definitio constat ex verbis Metaphoricis s. Tropicis, illa est rejicienda. Hæc matrimonii definitio tralis est. Ergò est rejicienda. Conclusionem nemo facile permittet. Minor constat. Neq; enim vox *conglutinationis* propriam suam hîc retinet significationem, neq; verbum *promittendi* propriè de conjunctione dicitur.

§. 1. Notatu itaq; dignum censeo, quòd aliquando vocabulis tropicis uti liceat, tunc verò potissimum, quando eorum facilè patet significatio, atq; ita quidem, ut ferè tropica non videantur: cæterùmq; adhibeantur non sine singulari emphasi, qualia continet citata matrimonii definitio. Resp. igitur ad Objectionem, Majorem restringendo h. m. Quæ: definitio constat ex verbis Trop. cis rem obsecrantibus, quorù difficulter patet significatio, illa est rejicienda. Sic verò falsa fit minor, vix ullò aliquo diffidente.

CANON II.

Genus definitionis & definiti debent esse ejusdem prædicamenti.

§. 1. Habet hanc regulam Aristoteles, 1. 6. Top. C. 5. §. 4. πάλιν, dicens, (ἀμαρτάνει) εἰ μὴ κείται τὸ λεγόμενον ἐν οἰκείῳ αὐτῆς γένει. h. e. iterum, (peccat) si non ponitur definitum in proprio genere. Ratio canonis est, quia non omne, quod definitur, ut species definitur. Species autem cum suo genere in eodem debet esse prædicamento. Quin imò requiritur, ut definitum & genus in definitione positum in eadem quoq; sint *specie* prædicamenti.

menti. Quando enim definitum cum suo genere est quidem in uno eodemque prædicamento, non tamen in una specie ejusdem, falsa est definitio. V. g. si quis definire velit habitum, quòd sit potentia naturalis : vel potentiam naturalem, quòd sit habitus, id fieret falsissimò.

§. 2. Dicis: hac ratione rejiciendam fore JCtorum definitionem, quã justitiam l. 10. ff. de J. & J. item pr. Inst. eod. definiunt, quòd sit constans & perpetua voluntas, jus suum cuique; tribuendi, atque ea propter, quia justitia tanquam definitum est habitus animi perfecti moralis, ut ex schemate habituum facile patet; Genus autem nempe voluntas est potentia naturalis, sicque; illud ad primam, hoc ad secundam qualitatis speciem pertinet. Resp. Licet Piccolominæus p. 293. prorsus neget, justitiam defini posse vel per voluntatem vel per voluntatis habitum; quia tamen ab omnibus JCtis recepta est, rejicienda non est. Est autem notandum, quòd id, quod Philosophus Logicè dicit habitum in voluntate aliquid agendi, JCtus Oratoriè s. Rhetoricè dicat ipsam voluntatem constantem quid agendi. Expeditò hoc, in allata definitione justitiæ JCtorum omninò genus & definitum sunt in eodem prædicamento. Voluntas enim non pro potentia naturali volendi; sed pro habitu, quò voluntas ad agendum promptum est, sumitur. CANON III.

Definitio conficiatur ex prioribus & notioribus.

§. 1. Inculcat hanc regulam Arist. Lib. VI. Top. C. 4. Ea propter enim daur definitio, ut res dicta explicetur & cognoscatur. Notior autem fit res, si definiatur per priora & notiora.

§. 2. *Priora & notiora* dupliciter dicuntur: (1) *Simpliciter sive secundum se & naturã*, quæ à sensibus sunt remotiora, v. g. causa respectu effecti, magis universale respectu minus universalis, abstractum respectu concreti. (2) *Secundum quid & nobis*, quæ sensibus nostris sunt propinquiora, ut sunt singularia sive minus universalia respectu magis universalium, effecta respectu causarum, concreta respectu abstractorum. Sed Canon de prioribus & notioribus naturã s. simpliciter talibus loquitur. Ratio est Aristotelis loc. cit. quia si definitio constaret ex iis, quæ nobis sunt notiora, sequeretur, ejusdem res multas esse definitiones, cum aliis hæc, aliis alia sint notiora.

§. 3. Objicis: hac ratione rejiciendam iterum esse definitionem justitiæ, de qua in præc. Canone, quòd sit constans & perpetua voluntas, jus suum cuique; tribuendi, quia causam definit per suum effectum, qui est respectu justitiæ, jus suum cuique; tribuere. Resp. per distinctionem supra

in Cap. I. notatam, inter definitionem essentialem, eamq; rigorosè ita dictam, & accidentalem vel descriptionem. Cum essentialis definitiones sæpenumerò habere nequeamus, contenti libenter sumus definitionibus accidentalibus s. descriptionibus. Requiritur autem ad descriptionem etiam, ut ipsa constet ex notioribus & prioribus. Debet enim & hæc rem notificare, ubi tamen sufficiunt priora & notiora *quoad nos*, qualia sunt effecta respectu causarum. Atq; ita defini solent plerumq; virtutes Ethicæ. Dicas itaque: Si definitio conficitur ex prioribus & notioribus *naturâ*, essentialis erit; sin verò constat ex prioribus & notioribus *quoad nos*, definitio erit accidentalis sive descriptio.

CANON IV.

Definitum non debet ingredi suam ipsius definitionem.

§. 1. Innuat hunc Arist. 1. 6. Top. c. 9. §. 6. Ratio ejus facilè patet, & quia ignotum per æque ignotum defini nequit. Si enim definitum, quod adhuc ignotum est, ingrederetur definitionem, definitio non conficeretur ex notioribus, atq; sic res non notificaretur, quod est contra Reg. præced.

§. 2. Definitionem verò duplici modò ingredi ipsam posse definitionem 1. *expressè* 2. *implicitè*, videamus. *Expressè*, ut si definiretur genus, quod sit id, quod de pluribus, quæ generi subjiciuntur, in quid prædicari aptum est. *Implicitè* ingredi est indirectè & consecutivè ingredi; sit vero hoc, quando vox aliqua ingreditur definitionem, quæ iterum per definitum est definienda. v.g. Si sol definiretur, quod sit astrum, quod, dum dies est, hemisphærium nostrum illustrat. *Implicitè* hinc definitum ingreditur definitionem. Ponitur enim vocabulum, quod per definitum, (solem scilicet) est definiendum. Dies namq; uti constat, quod sit motus *solis* supra terram, definitur. Neutiquam verò debet ingredi definitionem definitum, neq; *expressè* neq; *implicitè*. Quod non *expressè* debeat illam ingredi, omnibus notum censeo; quod vero *implicitè* ingredi non liceat, dicit Arist. 2. Top. C. 2. §. 3. it. 1. 6. Met. c. 4. §. 14. Si enim aliquid *implicitè* in definitione sui ipsiq; poni posset, ipsum *expressè* etiã poni posse sequeretur. Ratio, quia licet locò obscurioris vocabuli in definitione positi locare ipsiq; definitionem; quod si fieret, definitum in sua ipsius definitione appareret *expressè* positum. Sic si in commemorata definitione *Solis* loco vocabuli *dies* proneretur ipsius definitio, talis prodiret oratio definitiva: *Sol* est astrum, quod, dum motus *solis* supra terram est, hemisphærium nostrum illustrat. Cum igitur *explicitè definitum* in definitionem collocare non liceat, sequitur, quod prohibitus etiam sit ingressus ejusdem *implicitè*.

§. 3. Lucet ex dictis decisio controversiæ illius: *num relatum per suum correlatum accuratè definiri queat?* Nimirum partem negativam svadet præsens Canon: Si enim relatum per suum definiretur correlatum, definitum suam ipsius definitionem ingrederetur *implicitè*, & consequenter definitio ex prioribus & notioribus definitio conficeretur. Intellige autem hæc quæ dicta de correlato *formaliter* spectato. *Materiale* enim ipsius, quin definitionem ingredi possit, nihil prohibet. Ita Phil. I. 5. Met. c. 26. & ex illo accuratiores Metaphysici *Torum* definiunt, quòd sit id, quod continet ea, quæ continentur, ut illa sint unum. Vitiosa esset definitio, si totum diceretur, quod continet *partes*, ut illæ sint unum. Loco vocabuli *partis* igitur *materiale* ipsius est positum, & quidem optimè.

§. 4. *Ex parte a.* definitum definitionem interdum ingredi, necesse est. Bona enim est definitio, quando enunciatio affirmans definitur, quòd sit enunciatio, quæ dicit prædicatum inesse subjecto. Distingvendum tamen inter partem *notificatam* & *non notificatam*. Intelligenda hîc est pars *notificata*, cum primis illa, quæ generis loco ponitur. Solet enim primum aliquid definiri & ita notificari, & deinde in suas species dividi, in quarum singulis definitionibus definitum quoad partem notificatam generis loco ponitur. Ita primò definitur *justitia*, & hæc dispescitur deinceps in *distributivam* & *commutativam*, ubi in utriusq; definitione commode generis locum occupat vox *justitiæ*, utpote quæ jam est *notificata*. Intelligenda autem hæc, quæ dicta, sunt de termino *complexo*. Ubi enim terminus simplex definitum est, ut *justitia*, inter partem notificatam & notificandam distingvi nequit.

§. 5. Ais: etiam per hanc regulam definitioni *justitiæ* ab Ulpiano datæ vitii inuri notam. Ingreditur enim definitum suam ipsius definitionem, dum *justitia* definitur per *jus*. Resp. aliud esse *jus*, aliud *justitiam*, illud est hujus objectum. Definitum igitur non ingreditur definitionem, sed ejus objectum. (2) Unum conjugatum per alterum definiri potest, si alterum illud sit notius. Ita abstractum non rarò definitur per coneretur. Distingvendum tandem quoq; est inter ingressum definiti, qui fit sine additamento notificante, & qui fit cum additamento notificante. Fit quandoq; ut definitum ingrediatur sine vitio, si scil. cum additamento notificante ingrediatur.

CANON V.

Omnis definitio constet genere & differentia specifica.

§. 1. Vid. de hoc Canone Arist. I. 6. Top. C. 6. & 4. §. 5. Nimirum in-

qualibet definitione conceptus duo occurrere debent, quorū unus est *con-*
venientia, qui communis est pluribus, alter *disconvenientia* seu *differentia* &
proprius, faciens, ut definitum ab aliis distingvatur. Ille est genus, hic
differentia.

§. 2. Dicis (1) quod dentur definitiones ex materia & forma rei confectæ.
Resp. quod in definitionibus quoque ex materia & forma constantibus genus poni
debeat; reliqua, sistentia formam & materiā, constituunt differentiam, vel ponun-
tur differentia loco. Ita homo definitur in Physicis, quod sit corpus mixtum con-
stans ex corpore organico & anima rationali. *Objicis* 2. quod nonnulla per subjectum
definiuntur. Resp. quod definitio ex genere debeat constare & differentia, quando id,
quod definitur, est *ens per se*; quando verò est *ens per accidens*, licet juxta ipsum Phi-
losophū generis loco ponere subjectum. *Ans* 3. Multas, easque longo usu receptas & ap-
probatas definitiones nullum plane habere genus: ut quando pr. Inst. de J. N. G. & C.
definitur *jus naturale* esse, quod natura omnia animalia docuit. Item §. 1. Inst. eodem:
Jus civile est, quod quisque populus ipse sibi jus constituit. Item pr. Inst. de Libert.
Libertini sunt, qui ex justa servitute manumissi sunt &c. Resp. Posse quandoque
genus subintelligi: nimirum (1) Si terminus complexus definitur, & pars illa quæ in
precedentibus fuit definita, generis locum obtinere debet, illa hōc ipso facile subin-
telligi potest; quod videmus in prioribus duabus definitionibus. *Jus* primum de-
finitum erat, hoc deinde dispescebatur in *naturale gentium* & *civile*, quod si horum
aliquod definiri debet, generis locō ponendum est jus. Cum autem hæc jamjam ex
precedentibus constant, opus non est, ut iterum addantur, sed subintelligantur.
(2) Potest etiam genus subintelligi, si ipsum per se cuius notum est, vel facile ex dif-
ferentia colligi potest; ut, si doctus esset describendus, genus posset omitti. Quis e-
nim ignorat, quod ratione conceptus communis sit homo? Simile judicium fiat de
definitione Libertinorum in Inst. loc. cit.

§. 3. Obj. 4. Saepe genus *remotum* poni, non *proximum*. Ita ab Arist. l. 5. Ethic.
c. 1. definitur, quod sit virtus, quæ homines idonei sunt ad ea, quæ justa sunt, eadem-
que agunt & volunt. Ponitur in hac definitione non genus *proximum* sed *remotum*.
Proximum enim non est virtus, sed virtus moralis. Resp. Saepenumero videri genus
quoddam *remotum*, sed non est remotum, si rectè consideretur: nempe saepenumero
terminus est analogus, qui secundum suam analogiam potest habere varias spe-
cies, sed facile stare potest loco generis proximi, si animadvertatur, *analogum abso-*
lutè positum stare pro suo significato famosiori. Sic etsi virtus alia sit moralis, alia in-
tellectualis; moralis tamen virtus dicitur juxta famosiorē significationem, unde
etiam talis facile intelligi potest, ubi vox virtutis absolutè ponitur. *Dicis* 5. Saepe
aliquid definiri, quod neque genus propriè dictum, neque differentiam specificam
propriè dictam habet. Resp. tū sufficere, si genus *analogum* ponatur, ut patet ex de-
finitione *substantia*, item Dei. *Profers* 6. plerasque definitiones desumptas esse ab
objecto, à *causis externis*, *causa efficiente*, *finali* vel *effectu etiam*, & tales non habent
differentias *specificas* propriè dictas; ratio, quia sunt accidentales definitiones. Resp.
ubi differentia specifica propriè dicta haberi nequit, nos cogimur accidentalibus
contenti esse. Potest hac ratione non malè distingvi inter *differentiam essentialē* &
accidentalem, etsi *accidentalis* propriè dicta differentia non sit, „modò definitum ab
aliis distingvat. CA.

CANON VI.

Definitio debet esse convertibilis cum suo definito.

§. 1. Videatur de hoc Arist. Post.c. 4. §. 1. & l. 2. Top.c. 3. §. 1. Primum hinc scitu necessarium, quod termini convertibiles sint, qui de se invicem universaliter affirmari possunt. Asserti canonis rationes patent, quarum duæ sunt potissimum: (1.) quia definitum & definitio quoad rem considerata sunt unum idemque. (2.) quia in definitione ponitur differentia specifica, quæ genus ad certam restringit speciem, ab aliis omnibus distinctam, quapropter fieri nequit, quin definitio reciprocetur cum suo definito.

§. 2. Accidit verò, ut definitio cum suo definito non reciprocetur, vel non sit convertibilis, modo duplici: (1) Si definitio sit *angustior* suo definito, h. e. si definitum in se contineat aliquid, quod sub definitione non continetur (2.) Si definitio sit *latior* definito suo, h. e. si definitio contineat in se aliquid, quod sub definito non continetur.

§. 3. Definitio verò & definitum hinc considerantur non *formaliter* pro ipsis notionibus, sed *materialiter* pro rebus substratis; definitum enim, quæ definitum, & definitio, quæ talis, tanquam notiones, sunt relata, quæ de se proin affirmari nequeunt; res verò substratæ reciprocantur sub definitione & definito, h. e. de se invicem affirmari universaliter possunt.

§. 4. Quid? Si objicis, quod nonnunquam fiat, ut definitio non universaliter affirmetur de suo definito, & consequenter in quadam definitione definitio cum suo definito non sit convertibilis. Ita v. g. *Philosophia* definitur, quod sit habitus animi ex sapientia & prudentia constans. Hæc definitio de omnibus philosophiæ partibus affirmari nequit. Qvis enim dicere vellet, Ethicam vel Politicam esse habitum ex sapientia & prudentia constantem? Prudentia utraqve est, non sapientia, neque constat ex sapientia. Resp. quod definitum alicujus definitionis accipiatur dupliciter (1.) in *suppositione simplici*, pro natura rei in communi, (2) in *suppositione personali*, pro inferioribus. Quando definitur aliquid in *suppositione simplici*, v. g. *Philosophia* in genere, non necesse est, ut omnibus inferioribus comperat; sed sufficit, si adæquatè comperat definito in communi acceptione.

§. 5. Notetur denique, quod hæc regula sit universalis, atque quidem ad eò, ut etiam sub se comprehendat qualem cunque descriptionem, sive à Theologo, sive à Jurisperito, sive à Medicinæ Doctore, sive denique ea adhibeatur à Philosopho. Si itaque aliqua occurrat definitio, in quam non quadrat hæc regula, illa planè est rejicienda. Talis definitio esset, si quis justitiam particularem describeret per virtutem, in distribuendis rebus externis modum observantem. Nulla hæc est definitio, quia non competit justitiæ commutativæ.

CANON VII.

In definitione nihil desit.

Habet hunc canonem Arist. l. 2. Post. an. c. 13. §. 30. Duplici autem modo in definitione aliquid deesse potest: (1) ut propter defectum hunc definitio non reciprocetur cum definito, sed sit latior. Et sic coincidit cum Reg. præcedenti, (2) ut propter defectum illum non desinat esse convertibilis: & hoc fit duplici pacto, 1. quando deest genus, ut in definitione juris naturalis, quando pr. Inst. de J. N. G. & C. dicitur esse, quod natura omnia animalia docuit: 2. quando deest genus proximum v. g. in definitione

definitione justitiæ Aristotelicâ, suprà quam posuimus. Posterioris generis definitiones non sunt simpliciter rejiciendæ, ut ex supra dictis constat: Priores autem nullatenus sunt tolerandæ.

CANON VIII.

In definitione nihil redundet.

Modò duplici in definitione aliquid redundare potest: (1) ut proinde non reciperetur cum suo definito, quod patet ex Can. VI. (2) ut per abundantiam illam non impediatur convertibilitas. Definitiones generis prioris tolerandæ non sunt. Posteriores verò non sunt simpliciter rejiciendæ. Sæpiùs verò aliquid ex abundantanti in definitione adjicitur, ut res magis illustretur, vel saltem non sine ratione. Ita virtus moralis definitur, quòd sit habitus animi electivus in mediocritate consistens, quæ ad nos est, ratione definita. Licet hîc verba illa, *ratione definita*, omitti possent, non tamen sine ratione adduntur.

CANON IX.

Definitio non debet esse negativa.

Juxta Arist. 6. Top. c. 6. §. 5. Limitandus verò canon est, & distingvendum (1) inter definitionem *essentialem* & *accidentalem* sive descriptionem. (2) Inter definitionem entis *positivi* & *negativi* vel *privativi*. (3) Inter positivum *re* & *voce*. Restringo: Definitio *entis positivi essentialis* non debet esse negativa *quoad rem*. Facile hinc responderi potest, si objiciatur definitio *actionis involuntaria*, quâ definitur, quòd sit, *cujus principium non est in agente vel patiente*, sed aliunde provenit; quæ est negativa. Resp. 1. quod ipsum hujus definitionis definitum sit *negativum*, atque sic definitio non est entis positivi, sed talis entis, quæ in sua natura negationem importat. Resp. 2. quod phrasis *non esse in agente & patiente*, sit quidem negativa, sed positivi *quòd rem ponit*.

CANON X.

In definitione non debet esse usus conjunctionis copulativæ & disjunctivæ.

§. 1. Canon hic est bimembris, *cujus prius membrum desumptum est ex l. 2. Post. 1. 30. ubi dicitur, hominem esse animal pedestre, sed non animal, & pedestre. Posteriorius est desumptum ex 6. Top. c. 7. §. 5. Dicis: plerasque definitiones habere particulas copulativas & disjunctivas, ut pr. test. de J. & J. definitur justitia, quod sit constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Item §. 1. Inst. de Tur. ubi definitur tutela (juxta Servium) per vim & potestatem in capite libero, ad tuendum eum, qui ipse per ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permissa. Verùm Resp. conjunctionem copulativam dupliciter posse in definitione poni: (1) quando ponitur inter genus & differentiam specificam, ut hanc cum illò copulet: (2) quando ponitur inter ipsa verba, per quæ differentia, vel etiam genus explicatur. Prior modus est prohibitus, non posterior. Copulam disjunctivam quod attinet, notandum, quod eâ uti liceat, imò oporteat, ubi definitur *analogum* sive *commune ab uno vel ad unum*: Ita principium dicitur, unde aliquid est, vel fit, vel cognoscitur.*

Ratio, quia conceptus analogi est diversus, & proinde sine particula disjunctiva exprimi nequit.

TANTUM!

Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515







13a

D. B. V.

M D E- E N D I,

ESIDE

ANNE REIN.

ilperhusâ Francô,


ventilationi
gstit

WILHELMUS CARP-

Ratisbonensis,

RESPONDENS.

ri. d. XVII. Maji.



BERGÆ,

NCKELII, Acad. Typogr.

C LXXIII.

